



47  
17  
I. N. J.  
DISPUTATIO INAUGURALIS,  
DE  
**LEGITIMA MARITI**

occasione

*Auth. Prætereà. C. Unde Vir & Uxor*

&

*Novell. 53. cap. 6.*

*Quam*

DEO juvante

Ex Permissu Inclyti Jctorum Ordinis,

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI,

SUB PRÆSIDIO

**DN. JO. HENRICI BERGERI,**

J. U. D. Pand. P. P. & Collegiorum, quæ

Vitembergæ sunt, Assessoris,

*Domini Patroni & Promotoris sui ætatem*

*colendi,*

**Pro LICENTIA**

Summos in utroque Jure honores, Privilegia &

Immunitates ritè consequendi,

Publicæ & solenni Disquisitioni submittit

**JOH. FRIDERICUS BAUDIUS,**

Schmidfeld. Mifn.

*Ad diem 4. Maji, Anno M. DC. XCIII.*

VVITTEMBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

DISSERTATION

LEGITIMAMARITI

ANNO DOMINI 1784

DN IOHANNES BAPTISTA

JOH. FRIEDRICH





## PRÆFATIO.

**M**editanti mihi, in quānam è variis juris nostri Materiis Ingenii mei vires utut tenuissimas impresentiarum exercerem, obtulit sese tandem hæc de legitimâ Mariti: Quæ quidem, quod Jus Civile attinet, jam suo modo res expedita est, quoad Jus verò Saxonicum tum commune, tum Electorale adhuc aliquò dubiò laborat. Quippe quò cautum, quod Maritus sit tantummodo Uxoris defunctæ heres mobilis, de Immobilibus autem profus nihil lucretur. Quæ sententia quemadmodum valde dura & æquitati adversari videtur, Ita & inter summa illa juris Saxonici Oracula Matth. Berlichium & Ben. Carpovium non minimam excitavit contentionem, quorum alter Marito pro re nata quartam vel portionem virilem tribuit, alter vero illum à Successione Uxoris in casu deficientium Mobilium omninò excludit. Imò Richterius ulterius progreditur & absque discrimine casuum, Marito sive

inops sit five non, partem bonorum Immobili-  
um tribuit. Sed ne res in dubio relinqvatur.,  
Mens est, post exantlata Examina consueta & im-  
petratam Potestatem à Magnificò Ordine Juridi-  
co pro Licentiâ disputandi inquirere, cujus Opi-  
nio Reasonibus juris magis suffulta, & veritati Ju-  
ridicæ convenientior sit, cum secundum ipsum  
Carpz. Lib. 6. Tit. 7. Resp. 70. n. 10. æquius sit ei  
adhærere sententiæ, quæ melioribus fulcitur Ra-  
tionibus, etsi Impetator sit in contrariâ opinione;  
Rem equidem perexigui mei Ingenii vires longi-  
us egredientem molior, ut propterea Eruditorum  
reprehensionem justissimè videar incurrisse, &  
suspicer, ne à me optimè cogitata, etiam hic pes-  
simè cadant. Hoc tamen mihi adhuc solatii stu-  
perest, etiam in magnis VOLUISSE non omni  
laude carere. Deum igitur Optimum Maximum  
ut feliciter evenire sinat hoc Exercitium, supplici  
manu & mente obtestor!

## CAPUT I.

DE

LEGITIMÆ in genere & in specie MARI-  
TI Etymologiâ, Synonymiâ, Homony-  
miâ, Descriptione & Divisione.

TH. I.

Initium hujus Exercitii de Legitimâ dum facio, non abs re  
erit, cum monente Socrate Intelligentia Verborum Prin-  
cipi-

capium Eruditionis sic, in ipsam Vocem inquirere; Dicitur verò Legitima à Lege, quia solà Lege sine Judicio Testatoris constituitur Franzk, *Comm. 1. ad Tit. de Inoff. Testam. §. fin. n. 1.*

TH. II.

Vocatur etiam Quarta §. fin. *J. de Inoff. Test.* Quarta Legitimæ partis §. 3. *J. d. t.* debitum naturale *L. 36. §. ult. C. od. tit. Nov. 18. in pr.* Falcidia *Auth. Unde & si Parens: C. de inoff. Testam.* Germanis dicitur Pflicht Theil und Noth Erbschaft Besold, *Thef. Pract. sub lit. P.*

TH. III.

Accipitur aliàs Legitima 1. latè & generaliter, quo sensu omnia dicuntur legitima, quæ ex lege aliqua instituta sunt, & plerumque de LL. 12. Tab. intelliguntur, 2. specialiter, quo sensu definitur portio hereditatis jure debita. Alias hujus acceptionis descriptiones adducit Merlinus de Legitimâ *Lib. 1. t. 1. g. 1.*

TH. IV.

Distinguitur autem Legitima in propriam & impropriam sive in veram & quasi.

TH. V.

Propria triplex est: Descendentium nim. Ascendentium & Collateralium s. Fratrum & Sororum in solum casum institutarum turpium Personarum Struv. S. I. C. *Exc. 10. Th. 10.*

TH. VI.

Impropriam vel quasi Legitima est Conjugum Gothofred. *in nor. ad Nov. 53. c. 6. lit. b.*

TH. VII.

Porro Legitima est vel juris naturalis vel civilis; hujus, quando formaliter consideratur & potest mutari, illi verò, quando materialiter, non certâ quantitate, sed ipsâ successione

sione spectatâ, usurpatur Struv. S.I.C. Ex. 10. Tb. 10. Quan-  
quam accuratè loquendo hoc non aliter admittendum est,  
quàm quatenus in Legitima insunt Alimenta necessaria.  
Et hinc est, quod miles non teneatur liberis in testamento  
relinquere legitimam L. 9. 24. C. de inoff. Testam. Inter-  
rim tamen alimenta eis præstanda esse ipsa Ratio jubet,  
Quod Hugo Grotius de Jur. Bell. & Pac. Lib. 2. c. 7. S. 4. &  
ibid. Zieglerus eleganter executi sunt.

TH.IX.

Quia igitur h. l. in specie de Legitimâ Mariti acturi  
sumus, de significatione Vocis pauca præmittere libet.  
Maritus autem propriè à contractis Nuptiis dicitur, licet  
pro sponso etiam ponatur, ut in L. non sine 5. C. de bon. qua  
lib. Mariti enim appellatione sponsus continetur in L.  
Julia de fund. dot. vid. l. 4. ff. de fund. dot. Calv. in Lex.  
Jurid.

TH.IX.

Hisce præmissis describitur hæc in specie, quod sit  
Portio Marito in bonis Uxoris prædefunctæ locupletis in  
casu inopiæ & deficientis Donationis propter Nuptias legi-  
bus debita, per Nov. 53. c. 6. & Auth. Præterea. C. Unde Vir  
& Ux.

CAP. II.

DE

CAUSA EFFICIENTE.

TH. I.

Causam Efficientem hujus Legitimæ nostræ constituit  
Jus Civile & quidem Novissimum in Nov. 53. c. 6. &  
Auth. C. Præterea. Unde Vir & Ux. comprehensum. Nam  
jure veteri Conjuges sibi invicem non succedebant, nisi ope  
Prætoris omnibus cognatis deficientibus L. 1. pr. quis ordo  
in poss. serv. l. c. ff. Unde Vir & Ux.

Th. 2.



TH. II.

Sed non immeritò hic dubitari posset: An hoc Privilegium Uxori indultum etiam ad Maritum extendi queat, cum Imperator in *alleg. Auth. de Marito* nominatim nihil constituat, & Jus novum & prioris correctorium strictè accipiendum, nec procedendum sit argumentando ad consequentias, ut legum vitetur correctio, Rittersh. in *exp. pos. Nov. Const. P. 7. c. 17. n. 9.*

TH. III.

Attamen hisce non obstantibus veriore sententiam Affirmantium puto, Quia Uxor & Maritus sunt relata, quorum eadem natura est & qualitas, adeò ut quod statuitur in uno etiam intelligatur statutum in alio *arg. L. veteres 19. ff. de Act. Em. L. fin. C. de indict. Viduit. Everhard. in Top. loc. à correlativis 20. n. 3. & 4.* Et in hac Materia una eademque Ratio, ac proinde idem quoque Jus in Marito, quod in Uxore statuendum est *arg. L. illud 32. ff. ad L. Aquil.* Ubi enim rationis identitas concurret, etsi res aliàs diversissimæ sint, tamen ab unâ ad aliam argumentando procedere possumus *L. non possunt 12. cum L. seq. ff. de LL. Everh. in loc. leg. à contr. ad distract. n. 11.*

TH. IV.

Contrariari quidem huic nostræ Assertioni videtur Gl. lat. ad *Art. 31. L. 1. Land N. lit. d. post med.* quando dicit: Correlationem non habere locum in statutis; Sed contra ea sciendum est, dictum Glossæ etiam juris civilis semper debere intelligi secundum Legem, quam allegat, Reyger in *Thef. jur. verb. Glossa n. 4.* quando autem nihil allegat non esse tenendam Glossam Rol. à Valle *Conf. 45. n. 36. L. 1.*

TH. V.

Nec ad rem quicquam facit, quod statutorum verba strictè sint accipienda Gail. *Lib. 2. Obs. 29. Hartm. Pist. L. 1.*

2v. 16.

*Qu. 16. n. 23. & stricti juris sint Alexand. Conf. 184. n. 10. Vol. 6. Paris. Conf. 127. n. 29. Vol. 1. ideoque nec ultra verba extensio facienda Schurff. Conf. 15. n. 1. Cent. 1. Menoch. Conf. 5. n. 2. statutaque tantum in casu disposito obtinere dicantur Gl. in L. mancipia C. de serv. fugit. Dec. Conf. 101. n. 1. & restringantur ad casum, de quo disertè loquuntur Alex. Conf. 197. n. 6. Vol. 6. Ruin. Conf. 23. n. 2. 9.*

TH. VI.

Nam ad hæc reponi potest: Ubi juris vel statuti Ratio eadem est, ibi eadem quoque debet esse juris vel statuti Dispositio *L. neq. 10. L. non possunt 12. & L. seq. ff. de LL.* At hõc modò statutum non extenditur, sed enucleatur, & quod Rationi ipsius inclusum est, secundum æquitatem declaratur & detegitur. Andr. Rauchb. P. 1. *Qu. 6. n. 11. & 21.* ubi dicit, talem Interpretationem non dici extensivam, sed intellectivam, quæ ex mente statuti sumitur. Alii eam speciem commodo satis vocabulo comprehensivam appellant.

TH. VII.

2. Quia expressum textum habemus in alleg. *Nov. 53. c. 6.* Quod sc. similiter quidem in Viris, similiter etiam in Mulieribus servandum sit, quæ verba certè aliter intelligi non possunt, quàm quod Maritus eodem jure gaudere debeat in bonis Uxoris, quo gaudet Uxor in bonis Mariti.

TH. IIX.

Et hæc Opinio vel ideò sustinetur, quia d. Auth. Prætereà, desumpta est ex allegatâ *Nov. 53. c. 6.* ut apparet ex clausula *Autb.* Inscriptione, ac proinde meritò etiam ex illâ Novellâ patietur interpretationem, cui suffragatur Gothofred. in *Not. add. Nov. 53. c. 6. lit. I.* ubi dicit, nota de Quartâ Viro competente in bonis Uxoris locupletis defunctæ, Quid? quod *cit. Autb.* vocabulo generali *Conjugis* utitur, adeo-

adeoque etiam in se spectata magis proficit quàm obest.  
Nemo enim vocabulo Conjugis quoque maritum contine-  
ri facillè negabit.

TH. IX.

Hanc sententiam ulterius adjuvat Rubrica *d. Nov. 53.*  
quæ circa finem ita sonat : Et de indotatis Uxoribus, ut  
habeant quartam partem in substantia Viri & ipse vir in  
substantiâ Uxoris, quando in ops est, cui relinquitur.

TH. X.

Denique accedit, quod idem Imperator Justinianus  
in *Nov. 117. c. 5.* certos casus constituat, quibus Maritus se-  
cus atque Uxor quartam illam capere non debeat ex bonis  
Uxoris, Ubi *in fin.* ait: Virum enim in talibus casibus  
quartam secundum priorem nostram legem, ex substantiâ  
Mulieris accipere, modis omnibus prohibeamus. Unde  
resultat tale argumentum, quod extra illos casus quar-  
tam accipiat Maritus, quia prohibitum in uno, quoad  
alia censetur permissum *Gamsius Thef. jur. verb. Probi-  
bitio §. 17.*

TH. XI.

Nimirum monendum est, duplicem esse in hac mate-  
riâ quartam à Justiniano introductam, primam in causâ  
repudii sine causâ missi eamque utrique Conjugi commu-  
nem *L. ult. §. 1. C. de repud. Nov. 22. s. 18.* alteram quæ Con-  
jugi inopi ex bonis defuncti Conjugis debetur *Nov. 53. c.*  
*ult.* ut adeo sec. Accursii sententiam, quæ etiam communi-  
or est & *Autb. Præterea C. unde vir. & Uxor.* convenientior,  
verba cit. *Nov. 117. c. 5. in fin.* referri tantùm oporteat ad  
eam quartam, quæ ex *d. l. ult.* debetur, præsertim cum di-  
fertè ejus in *fin. alleg. Nov. 117. c. 5.* mentio fiat.

TH. XII.

Hactenus dicta autem etiam in Foro Saxonico obtri-  
ent,

ment, Schneide W. *J. de hered. quæ ab intest. defer. Rubr. de Success. inter Vir. & Uxor. n. 32.* Pensold. in *add. ad Col. Dec. 286. n. 299. P. 2.* quia d. *Autb. Præterea* in jure Saxonico abrogata non invenitur arg. *L. 32. §. ult. C. de Appell. & L. 27. in med. C. de Testam. Berl. P. 3. Concl. 29. n. 70.*

### CAP. III.

DE

## CAUSA MATERIALI.

TH. I.

Causa Materialis hujus Legitimæ duplex est, subjecta & objecta.

TH. II.

Objecta, quæ etiam objectum aliàs dicitur & Materia circa quam, sunt res Uxoris prædefunctæ relicta, quæ considerantur vel ratione qualitatis vel quantitatis.

TH. III.

Ratione qualitatis sunt vel res mobiles vel immobiles, & utraq; iterum vel dotales, vel paraphernales, vel utensiles.

TH. IV.

Quod res mobiles attinet, illas de jure Saxonico lucratur Maritus, sive sine dotales sive paraphernales, quia Maritus in dote & aliis rebus mobilibus exceptis Utensilibus successor Conjugis statutarius est, eoque nomine heres Uxoris mobilis appellatur, Berl. *P. 3. Concl. 29. n. 29. & 30.*

TH. V.

Quæ Assertio tamen hunc in modum limitatur, ut liberis vel si hi non extent, Ascendentibus Uxoris Legitima, ex illius Mobilibus, deficientibus immobilibus, salva maneat, Berl. *d. Concl. 29. n. 60.* Schulz. *Syn. J. de quarto Ord. succed. lit. a.*

Th. 6.

TH. VI.

Sed quæritur hic non immeritò! Si Uxor planè nulla mobilia relinquat, an Maritus de Immobilibus illius aliquid lucretur? Quæ parte tres extant sententia Doctorum. Prima est Carpozvii *P. 3. C. 22. Def. 24.* scilicet Marito nihil deberi, utcumque inops esset. Altera, si Maritus inops sit, tum verò etiam in Foro Saxonico eum Uxori diviti in certâ bonorum immobilium parte succedere, *sec. Auth. Prætere à C. Unde Vir. & Ux. quæ Schneidevvinum ad Tit. Inst. de success. quæ ab intest. rubr. de success. inter Vir. & Ux. num. 32. Frid. Pensoldum in addit. ad Col. Dec. 286. n. 299. P. 2. Mollerum P. 3. C. 21. n. 14. Schulzium cit. loc. & novissimè Berlichium Part. 3. Concl. 29. n. 69. auctores habet.* Tertia denique, etiam citra respectum Paupertatis Viduo quartam partem bonorum immobilium deberi, quam Richterus *de success. ab intestato Sect. 4. membr. 2. n. 57.* & Struvius *S. J. C. Exerc. 38. Th. 40.* tumentur. Mihi in hæc sententiarum varietate ultima perplacet, eamque in præsentiarum, paucis tamen, probare annitar.

TH. VII.

Rationes autem quæ me potissimum movent, hæc sunt:  
 I. Quia jure Saxonico eoqve Electorali extra casum specialem Pactorum Dotialium, Statutorum aut Consuetudinis, Uxori ex bonis Mariti prædefuncti, sive dives illa sit sive in ops, debetur quarta pars, si Maritus relinquit Liberos ex primò vel secundò Matrimonio natos, si verò nullos relinquit liberos, tertia Pars, per *Const. Elect. 20. P. 3.* Ergò etiam Marito in defectu Mobilium ex bonis immobilibus Uxoris defunctæ pro qualitate Casuum vel tertia vel quarta pars debetur, & quidem ex naturâ correlatorum *arg. L. cum Emor. 5. ff. de rescind. Vendit. & per Rationes cap. 2. Th. 3. & seqq. ad auctas.*

TH. VIII.

2. Quia, ut Maritus in Foro Saxonico Mobilia Uxoris lucretur, in ejus Favorem est introductum, ergò in odium & detrimentum ejus non est detorquendum, arg. *L. quod favore. 6. C. de LL.* ubi Imper. Theod. & Valent. quod favore, inveniunt, quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri; & *L. plures 19. in f. C. de fid. Instrum.* ubi Justinianus dicit: Hoc quod pro quibusdam introductum est, inferre eis jacturam, minimè rationi convenit æquitatis.

TH. IX.

3. Movent me præjudicia Scabinorum Hallensium, apud Richteram *cit. loc.* quibus omnino aliqua autoritas Juris dubii interpretativa concedenda est; Quamquam non ignorem, aliud & his contrarium responsum è Scabinatu Lipsiensi à Carpovio *part. 3. const. 23. def. 24.* adduci.

TH. X.

Quod adeò verum est, ut, licet Mulier nonnulla Mobilia reliquerit, si tamen ea ad quantitatem alleg. Auth. non ascendant, Maritus etiam in foro Saxonico supplementum ex Immobilibus petere possit, Berlich, *P. 3. Concl. 29. n. 70.*

TH. XI.

Sed huic assertioni nostræ valde contrariari videntur ea, quæ per textus in *Land. N. L. 1. Art. 31. & L. 3. Art. 76.* tradit Carpovius *P. 3. Const. 23. Def. 22.* ubi *n. 1. 2. 3.* dicit: Maritum in mobilibus tantummodo bonis Uxori defunctæ succedere, de Immobilibus autem nihil omnino lucrari, usque adeò, ut quantumvis Uxor nihil reliquerit in mobilibus sed sola immobilia, tamen Maritus de hisce nihil percipiat, cui ad stipulantur Wesenbecius & Mollerus, quorum ille in *add. Schneidevv. J. de hered. quæ ab intest. deser. Rub. de success. int. Vir. & Ux.* ait se non vidisse ita pronunciari, sed

sed simpliciter tantum Marito mobilia adjudicari & cogi  
cum immobilia reddere, hic verò ad *Const. Elect.*, 21. P. 3. n. 14.  
idem se affirmare posse & usum quidem quotidianum satis  
probare docet.

TH. XII.

Atque hanc suam opinionem ampliat Carpzovius &  
Maritum nunquam ad Successionem Immobilium præde-  
functæ Uxoris in foro Saxonico admitti existimat, ne tunc  
quidem, quando nulli alii Uxoris descendentes, Ascenden-  
tes aut Collaterales fratres nempe vel sorores adsunt, P. 3.  
C. 23. Def. 23. neque probat distinctionem, an Maritus su-  
perstes habeat, unde se commodè sustentare possit nec ne?  
P. 3. C. 23. Def. 24. & quidem ex ratione n. 6. d. Def. allata,  
quia nimirum obstat generalitas verborum in *Art.* 76. L. 3.  
Land. N. ibi: *Stirbt denn das Weib/der Mann behält  
alle des Weibes fahrende Habe / das Gebäu aber / da  
die Frau inne war / und die Gerade behält er nicht / &c.*  
quæ pergit Carpzovius, luculenter innuunt, in foro Saxo-  
nico simpliciter Marito superstiti Mobilia sola adjudicari  
& cogi eum Immobilia reddere, accedente præsertim hu-  
jus juris ratione inductivâ, cujus memini supra Def. 22. &  
Observantia Fori Saxonici; de qua testantur Wesenb. *in not.  
margin. ad Schneiderv. d. l. n. 32. lit. a.* Mollerus *ad Const.  
Elect.*, 21. n. 14. P. 3.

TH. XIII.

Quibus accedit, quod secundum antiquas Saxonum  
Leges mulieres bona Immobilia haud possedisse, nec in iis-  
dem successisse Parentibus constat *Art.* 17. *Lib.* 1. Land. N.  
ibi: *Erbe nimmet der Sohn und nicht die Tochter /* Vo-  
cabulum enim Erbe in jure Saxonico significat bona Im-  
mobilia, uti explicat Glossa lat. *ad Art.* 27. *lit. d. in fin.* L. 1.  
Land. N. allegans *art.* 58. *Weichb.* ubi hereditatis vel pro-

prietatis nomine in specie intelliguntur bona immobilia. Contrà in bonis mobilibus Mulieres peculiarem successionem veluti præcipuam habuisse patet ex *Art. 21. & 27. Lib. 1. Land R.* partim ut damni sui, quod Immobilium successione abstinere tunc cogentur, compensationem aliquam haberent, partim quod res mobiles ut plurimum ad mundum muliebrem pertinerent, quibus implicari à Virilis & Saxonici vigoris sexu esset alienius, Heigius *P. 1. Qv. 8. n. 68.* Quibus consequens esse, cum laudato Heigio arbitratur Carpz. *d. Def. 22. n. 9.* quod Maritus mobilium Uxor, Geradà exceptà, Successor sit legitimus: de Immobilibus autem, quia olim nulla habuit Mulier, nihil circa successionem cautum legatur *d. Art. 31. L. 1. Land R. & Art. 76. Lib. 3. Land R.*

TH. XIV.

Gemina Juri Saxonico verba antiquissimæ Legis Salicæ, cujus auctorem Pharamundum primum Franciæ Regem esse communis fert opinio, videntur: *De terrâ Salicâ nulla portio hereditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terrâ hereditas perveniat.* Unde & Carpzovius cum Heigio ad Legem Salicam provocat, eâque idem cautum fuisse ait.

TH. XV.

Sei hæ Rationes tanti momenti non sunt, ut nos à Sententiâ affirmativâ dimoverent & in contrariam ducere possint: quippe ad quas responderetur, quod I. uterque Articulus juris Saxonici loquatur de eo casu, ubi tam mobilia, quam immobilia bona reliquit Uxor defuncta, non verò ubi bona defunctæ in meris Immobilibus constiterunt, Nam *Art. 31. L. 1. Land R.* verba sunt hæc: *Stirbt aber das Weib bey des Mannes Leben: Sie erbet keine fahrende Haabe/ denn allein Gerade und Eigen/ als sie des hat*  
an



an ihren Nehesten. Similis textus est in *Art. 76. L. 3. ibi*,  
stirbt das Weib / der Mann behält alle des Weibes fah-  
rende Haabe : das Gebäu aber / da die Frau innen  
was / und die Gerade behält er nicht / Statuta autem di-  
sponunt, quantum loquuntur & non amplius, ita dicit Bal-  
dus in *L. Testamentum non ideo C. de Testam.* Atque ideo  
benè notandum est, quod in *d. Art. 31. L. 1.* Uxoris quidem,  
consanguinei à Successione Mobilium penitus excludan-  
tur, in verbis: Sie erbet keine fahrende Haab an ihren  
Nehesten: & solo lucro immobilium, si quæ adsunt, con-  
tenti esse jubeantur, non verò Maritus à successione Immo-  
bilium, pro certâ & competente quantitate, in defectu Mo-  
bilium expressâ aliquâ constitutione removeatur. Ita &  
*Art. 76. L. 3.* in casu quodam speciali loquitur, scil. quo ali-  
quis Viduæ nupsit, quæ cum liberis suis ex priori Matrimo-  
nio genitis in communione bonorum perstitit, ac proinde  
post ejus mortem Maritus superstes ex bonis defunctæ Im-  
mobilibus nihil percipere potuit, quia illa non fuere pro-  
pria Uxoris præmortuæ, sed ejus liberorum prioris Matri-  
monii. Ex illis autem ipsi scil. Uxori, nihil præter Mor-  
gengabam, Geradam & cibaria debebatur, ac ideo dicitur  
in textu, quod Maritus superstes in solis Mobilibus succede-  
re debeat, sc. in Morgengabâ & Cibariis, aliisque similibus,  
exceptâ Geradâ.

TH. XVI.

Nimirum 2. loquitur allegatus, Textus *Art. 76. L. 3.*  
Sand N. ratione quidem distributionis inter mobilia præ-  
defunctæ Uxoris generaliter, ratione verò dispositionis, ut  
jam monui, planè specialiter, & in casu singulari, quo scil.  
Maritus nupsit Viduæ, quæ tempore secundi Matrimonii  
cum liberis suis prioris Matrimonii adhuc in communione  
usque ad mortem perduravit; Lubet ejus verba adscribere:  
Stirbt

Stirbt einem Weibe ihr Mann: und bleibt sie in des Mannes Guthe/ mit denen Kindern lange Weile oder Kürge: wenn sie darnachtheilen/ so nimmit die Frau ihre Morgengabe/ Gerade und Mußtheil/ an allen dem Guthe/ das denn da ist/ als sie nehmen solte zu der Zeit/ da ihr Mann gestarb/ hätte aber die Frau einen andern Mann genommen/ und wäre er zu ihr und denen Kindern in das ungetheilte Guth eingefahren / und stirbt dann das Weib: der Mann behält alle des Weibes fahrende Haabe: das Gebäu aber/ da die Frau inne was/ und die Gerade behält er nicht. *Eecce hic loquitur Textus de casu planè singulari, ex quo simul Ratio diversitatis apparet, cur hoc casu Maritus in solis Mobilibus, excepta Geradâ, succedere debeat, sc. quia Uxor nulla immobilia habuit, sed ea post mortem primi Mariti ad liberos suos pertinuerunt, Uxor autem, nullâ divisione institutâ, in communione bonorum cum liberis permanens ad secunda vota transit, & cum Marito secundo in domo liberorum primi Matrimonii usque ad mortem, nullâ separatione factâ, habitavit & morata est. Hinc post obitum ejus, divisione à Marito secundo scil. Vitrico cum liberis primi Mariti, sive privignis habita, non potuit ille plus consequi, quàm Uxor defuncta reliquit; Hæc autem non ampliùs potuit relinquere, quàm sibi debebatur ex bonis primi Mariti, sc. mobilia, quæ consistebant in Morgengabâ & Cibariis, nam Geradâ in textu expressè excipitur.*

TH. XVII.

Ad 3. respondetur, quòd Dn. Carpzovius & ab eo allegatus Heigius non probent, quòd intendunt. Licet enim concesserim, quòd jure Saxonum antiquissimò filie Parentibus non successerint in Erbe und eigen/ h. e. in Immobilibus, uti explicat Gl. lat. ad Art. 27. lit. d. in f. L. 1. Land R.

Land R. ubi dicit: Hereditatis vel proprietatis nomine in specie intelliguntur bona Immobilia; Hoc tamen saltem verum est secundum quid, sc. quando filii extiterunt; secus est, quando nulli adfuerunt, quia tunc etiam filiae admittuntur ad successione[m] immobilium à parentibus relictorum, ut patet ex textu, quem ad probandam suam intentionem allegant Carpzovius & Heigius ex *Art. 17. L. 1. Land R.* ibi: Erbe nimt der Sohn/und nicht die Tochter/es sey dann/das da kein Sohn sey/so nimbt es die Tochter.

TH. XIII.

Idem proditum est Lege Alamannorum *tit. 57.* apud Lindenbrog. Sic & Lex Saxonum *l. 7. §. 4.* habet: *Qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnis hereditas pertineat.* Quin Lex à Deo populo Israelitico data filiabus hereditatem paternam defert, si pater sine mascula prole decessisset *Num. 27. v. 8. 9. & seqq.* Durius agitur cum filiabus Lege Angliorum. Ita enim ejus verba habent *tit. 6. hereditatem defuncti filius non filia suscipiat. Si filium non habuit qui defunctus est, ad filiam pecunia & mancipia, terra verò ad proximum paterne generationis sanguineum pertineat.* Sed hæc Lex ad rem præsentem non pertinet. Pariter Armeniorum foeminas omnino Lex succedere non sinebat; At eam barbaricam & insolentem Justinianus *edict. 3. cap. 1. de Armen. success.* vocat. Imò apud ipsos Romanos Lege Voconia foeminae omnes aliquando ab omni successione remotæ fuerunt; Quæ tamen ut nimis rigida paulatim iterum in desuetudinem abiit.

TH. XIX.

Multò minus probat Dn. Carpzovius, quod *tit. Def. 22. n. 4* dicit: secundum antiquas Saxonum leges bona Immobilia Mulieres non possedisse; Ut enim vel maximè

C

nulla

nulla bona immobilia à Parentibus, quod tamen extantibus demum filiis factum fuisse jam probavimus, jure hereditario consecutæ fuerint; potuit sanè fieri, ut ea postmodum à Fratribus sine filiis, quod sæpius accidit, defunctis acquisiverint: aut etiam ex mobilibus pecuniarum, aliisque bonis adventitiis immobilia comparaverint; Nulli siquidem legimus, quod Mulieres antiquè Saxonum Lege Juris immobilia allodialia etiam possidendi planè fuerint incapaces.

TH. XX.

Neque etiam conveniens esse mihi videtur, quod Carpzovius *d.l. ex Heigio d. Qu. s. n. 68. 69. 70.* arcessit, ratiocinium: nempe illi juri singulari, quo foemina in mobilibus peculiarem successionem veluti præcipuam habuisse leguntur, esse consequens: quod maritus omnium mobilium Uxoribus, exceptà Geradâ, successor sit legitimus, de immobilibus autem nihil lucrari possit. Ad hoc enim respondeo 1. quod à B. Carpzovio & Heigio allegati *Art. 24. & 27. L. i. Land N.* non probent, filias olim hanc portionem, tanquam præcipuam habuisse ex bonis Mobilibus parentum, de quorum successione Heigius *d. Qu. s. n. 64. 68.* egit, sed saltem innuant, quidnam Viduæ ex bonis defuncti Mariti immobilibus & mobilibus debeatur, & ad quas personas defuncta suam hereditatem devolvat, quod cuivis legenti apparebit. 2. Nullam etiam possum deprehendere Rationem consequentiæ per ea, quæ antè adduxi. Accedit, quod ex alterâ ratione subjunctâ: sc. quod res mobiles ut plurimum ad mundum muliebrem pertinerunt, colligendum videtur, ab Heigio & Carpzovio forte per res mobiles intelligi Geradam. Quo posito, illud potius sequeretur, Maritum succedere in Geradâ; quam tamen à successione excipit ipse Heigius *d. qv. n. 69.*

TH. XXI.

TH. XXI.

Neque existimandum est, Lege Salicâ, quam circa annum 412. cum Franci se nondum Christianâ religioni ad-  
dixissent, latam esse vulgò perhibent, aliud cautum fuisse; quandoquidem per terram Salicam non intelligitur succes-  
sio in imperium, neque ut Carpzovius statuere videtur, bo-  
na allodialia, h. e. ut Hotomannus explicat *Francog. c. 10.* quæ non feudi, sed patrimonii jure à privatis possidentur, intel-  
liguntur, vid. Conring, *de Orig. Jur. Germ. cap. 7. pag. 35.*  
Potius terra Salica peculiare quid ab utroque diversum si-  
gnificat & terram videlicet, quæ hostibus devictis Regi mi-  
litibusque Saliis i. Francicis assignata fuit. Agri enim ex  
hoste capti partim Principi cedebant, partim militibus &  
veteranis in præmia assignabantur, partim veteri possessori  
relinquebantur, glossar. Lindenbrog. verbo: *Salica terra.*  
Sic Goldastus *tom. 3. Rer. Alam.* bona Salica appellat *frene*  
*Dehngliter* iisque opponit bona fiscalia *Chrißthäufige Hoffe*  
*güter.* Quare non animadverto, quomodo ex Lege Salicâ  
quicquam sibi præsidii hanc in rem capere queat cum Hei-  
gio Carpzovius,

TH. XXII.

Ratione Quantitatis consideratur Objectum Legiti-  
mæ nostræ, quod sit vel Quarta pars bonorum à prædefun-  
ctâ Uxore relictorum, vel portio virilis, vulgò *Rindestheil*/  
Berl. P. 3. *Concl. 26. n. 1. 4.*

TH. XXIII.

Quartam consequitur Maritus, si concurrat cum libe-  
ris propriis tribus vel paucioribus, Portionem virilem ve-  
rò, quando cum pluribus, & quidem tantum jure Ususufru-  
ctus, proprietate ejusdem Matrimonii liberis servatâ per  
text. in *Nov. 117. c. quia verò 5. junct. Auth. Præterea. C. un-*  
*de Vir Et Ux.* Si vero liberi alterius Matrimonii fuerint,

C 2

etiam

etiam proprietatem prædictarum portionum consequitur,  
*sitt. text.*

TH. XXIV.

Præterea si cum aliis defunctæ Uxoris cognatis utpote Ascendentibus & collateralibus Maritus concurrat, tum si hi quoque tres vel pauciores fuerint, succedit in Quartam, si plures, in virilem portionem hereditatis, plenò tamen, & non Ususfructus tantum jure *d. Nov. 117. c. 5. vs. Si verò* & d. Auth. Schultz. *Synops. J. de Quart. Ord. Succed. ab intest.*

TH. XXV.

Subiectum est Maritus superstes, Cujusmodi Jure communi intelligendus est statim benedictione sacerdotali insecutà, ceu docet quoque Hahnus *ad Wesenb. tit. ff. de sponsal. n. 6.* At Jure Saxonico consensio thalami necessaria est *p. 3. const. 19.* Quanquam sufficit Matrimonium post Consensionem thori momento saltem durasse, *Berl. P. 3. Concl. 25. n. 30.*

TH. XXVI.

Neque enim, quod nonnulli tradunt, conjunctionem hic carnalem requiri, recipiendum est. Tamen si hoc ita praticari Colerus *part. 2. Decis. 286.* perhibet & moribus Frisia, Ultrajectensium & Regni Lusitaniae obtinere testantur Sand, *lib. 2. Decis. tit. 2. def. 1.* Goris *adv. Jur. tr. 1. cap. 2. n. 1.* Molin, *de J. & J. tom. 2. Disp. 422. n. 3.* imò de consuetudine totius Germaniæ commixtionem carnalem necessariam putat Besoldus *thes. pract. voc. Beth.* Cum ex adverso eam nec moribus Comitatus Hollandiæ aliorumque populorum requiri testentur Goris *tit. c. 2. n. 3. seqq.* Neostad. *de pact. antenupt. obs. 18. n. 5. seqq.* Ceterum in eo facile consentio, procinctum nuptiarum nequaquam sufficere, utputa si sponsa in templum deducta & viro copulata

lata fuit, vel saltem magni sumtus in apparandis nuptiis  
vel comparandis vestibus & ornamentis facti, propter diser-  
tum textum ante citatum in *part. 3. c. 10.* ubi præcisè ingres-  
sus thalami requiritur.

TH. XXVII.

Ex his sequitur, Sponsum, de præsentī licet, nec in  
foro communi Legitimam lucrari, tum quia sponsus se-  
cundum veriorē sententiā propriè & verè non est ma-  
ritus, sed ab eo maximè differt *arg. l. 38. pr. de rit. nupt.*  
adeoq; Statutum, quod strictè interpretandum, non invenit  
objectum & veram materiam, in quam operari possit, ma-  
ximè quando de uxore non de Marito loquitur, & argumen-  
to demum ducto ab uxore ad maritum extenditur, tum  
quia major est favor consanguineorum sponsæ de damno  
vitando certantium, quam sponsi de luero captando solliciti  
*arg. l. 7. 8. de Jur. & fact. ign.* Quid multa? Ipsi fontes  
expressè loquuntur de conjugē, qui præmorienti cohabitavit  
fœdere matrimoniali. Verba *Nov. 53. c. 6.* sunt: *Vi-*  
*demus autē quosdam coherentes mulieribus indotata & pau-*  
*lo post: licet mulieres in statu legitima conjugis manserint.*  
*Nov. autem 17. c. 5.* *Si quis indotatam uxorem per affectum*  
*solum acceperit, & usq; ad mortem cum eā vivens præmoria-*  
*tur.* Quæ verba sanè ad sponsum & sponsam nullo modo  
accommodari possunt. Unde quidem tanto magis mirari  
subit, reperiri, qui etiā ad sponsas de futuro lucrum Sta-  
tutaria successionis referre tentant, novissimè Ludvvell. in  
*Comment. ad l. 5. C. de bon. quæ lib.* Atque sententiā no-  
stram multi tuentur, quos adducit Berlich. *part. 3. concl. 25.*  
*n. 3. seq.* & novissimè Lauterbach. *de societ. bon. conjug. c. 2.*  
*§. 19.* eamque judicando approbatam testatur Cassanæus  
in *Consuet. Burg. rubr. 4. §. 6. n. 4.* Confer Mozz. *de Con-*  
*tract. tit. de Matrim. rubr. de natural. matrim. n. 40 & Ge-*  
*hauf. Per. Acad. part. 2. q. 24.* ubi distingvunt.

CAP. IV.

DE  
FORMA.

TH. I.

Forma hujus Legitimæ consistit 1. in eo, ut Uxor præmo-  
riatur *d. Auth. Præterea §. Nov. 53. c. 6.*

TH. II.

Sed quæritur hic, si contingat Maritum & Uxorem,  
eodem casu simul perire, puta ruinâ cujusdâ domûs vel  
naufragio, uter alteri in parte Statutaria succedat? Sunt qui  
statuunt, Maritum lucrari debere quartam, eò, quòd præ-  
sumatur Uxor prius mortua fuisse Carpzov. *P. 3. C. 17. D. 12.*  
Paul, Zach. *Quæst. Med. legal. Conf. 85.* Sed verior est sen-  
tentia opinantium, hoc casu neutri Conjugum hanc por-  
tionem Statutariam deberi, tum quia in *L. 9. §. 3. de reb. dub.*  
Jctus fundamentum decisionis ponit in verbis stipulatio-  
nis: si in Matrimonio decesserit, non autem simpliciter di-  
cit, dotis lucrum ad Maritum ex stipulatione pertinere,  
quod satis indicio est, præsumtionem, quam dissentientes  
urgent, jure probatam non, imò potius ei contrariam esse,  
tum quia si ea vera esset, non difficilis foret decisio, nec ne-  
cesse fuisset Jcto ad verba SCTi confugere & in casu dona-  
tionis factæ à marito contra Jctum responderi deberet in-  
*L. 32, §. 14. de Donat. int. vir. & ux.* tum denique, quia ut  
Locus sit Statuto vel pacto, necesse est, ut constet, eum qui  
sperat lucrum successionis, supervixisse *L. 16. de reb. dub.*  
quod hic non est, Brunnem. *incit. L. 9. §. 7. d. e. n. 11. seqq.*

TH. III.

Requiritur 2. etiam, ut Maritus nullam habeat Dona-  
tionem propter Nuptias, nam si talem haberet non posset  
dici inops, *arg. alleg. Auth. §. Nov.*

TH. IV





TH. IV.

Qualis autem inopia hic requiratur, inter Interpretes omnino non convenit. Plurimi tradunt: minimè requiri hic inopiam parem Mendicitati, sed sufficere, quod Conjux superstes aliunde tantum non habeat, quantum faceret quarta Pars Facultatum præmortui Conjugis. Secundum quam sententiam superstiri Conjugi hoc jus competit etiam proprias res aliquas habenti, Gudelin. in *Comment. de jure Noviss. L. 2. c. 16. n. 6.* Tutius videtur, qualis hinc requiratur inopia, id arbitrio judicis committere Menochi, *lib. 2. d. 2. cas. 65.* Ceterum in judicandâ inopia tempus mortis mariti attendendum est; Ideo nihil nocet, si postea dives fiat Hillig. ad *Donell. lib. 9. c. 1. lit. O.*

TH. V.

Sed nostro Judicio æquitati magis congrueret, si Maritus etiam jure Saxonico indistinctè sive inops sive dives ex bonis immobilibus prædefunctæ Uxor is partem Statutariam consequeretur deficientibus mobilibus, id quod supra *cap. 3.* deduxi.

CAP. V.

DE

FINE & EFFECTU.

TH. I.

Præcipua est Tuitio honoris pristini Conjugii, & ne Maritus post Mortem Uxor is cogatur miserè vivere in opprobrium ipsius, *Nov. 53. c. 6.* tum ut cultius & honestius se exhibere & memoriam defunctæ Conjugis melius retinere possit *Cothm. L. 2. Resp. 74. n. 43. 44.*

TH. II.

Effectus inde resultantes quod attinet I. est, quod Maritus superstes vi harum constitutionum Uxori prædefunctæ

etæ

Et fiat heres partiaris regulariter ex quadrante, & 2. si  
Marito Legatum minus quarta Uxor relinquat, is ad supple-  
mentum agere queat *Auth. Prætere à § Nov. 53. c. 6.*

TH. III.

Effectus quoque est 3. quod Jus hujus Portionis ne ex-  
pressâ quidem Testatrix voluntate tolli aut minui pos-  
sit, quasi hæc Portio Legitima sit Cohujus Gothofr. *in nos.  
ad d. c. 6. Nov. 53. lit. b. § i.* non absimilis Legitimæ liber-  
rorum vel parentum, quæ necessariò ipsis est relinquenda.  
*Nov. c. 2. in pr.* Neque obstat, quòd cessante ratione Legis &  
ipsa cesset dispositio *arg. L. 32. de pact.* Jam si Conjux præ-  
defuncta Testamento auferat illam quartam, cessare videat-  
ur Ratio, videl. ne mariti memoria afficiatur ignominia.  
Resp. enim, quod ea Ratio non sit principalis, sed hæc po-  
tius, quòd prorsus inhumanum visum fuerit, conjugem,  
qui vitæ socius fuit & omnium casuum fortuitorum parti-  
ceps, post obitum alterius ad mendicantem redigi *d. Auth.*  
quam rationem prædefuncta Conjux dispositione suâ in-  
hibere non potest, maximè cum nemo juri quod simul &  
principaliter alterius favorem concernit, renunciare pos-  
sit *arg. c. L. pen. C. de Pact.* Neque quod vulgò dicitur, pro-  
visionem hominis tollere provisionem Legis, locum habet,  
quando provisio est extraordinaria. Richter. ad cit. *Auth.*  
*Prætere à n. 30. seqq. conf. Carpz. Part. 1. Dec. 61. ubi à sen-  
tentia, quam defendit. P. 3. C. 7. D. 2. recedit.*

TH. IV.

Huc pertinet 4. quod huic Legitimæ Maritus non  
possit renunciare, quia ea jure hereditario capitur, *d. Nov.*  
*53. c. 6.* pacta autem de non succedendo sunt invalida *L.*  
*Pactum dot ali 3. C. de Collat. L. f. ff. de suis & legit.* Cate-  
rum notū est, talem renunciationem jure Canonico, quod  
utī in multis capitibus ita etiam in hoc articulo passim re-  
ceptum est, valere, si jurata sit *c. 2. de Pact. in 6.*

TH. V.

TH. V.

Ad consequendam hanc Legitimam vel supplementum ejus competit Marito superstiti 1. Hereditatis petitio, 2. actio familiæ herciscundæ, 3. Condictio ex Lege sc. allegatâ *Aurb. Prætereà C. unde Vir. & Ux. & Nov. 53. c. 6. Conf. L. 30. 35. §. 2. l. 36. C. de inoff. Testam. 4. Jus Retentionis Carpz. P. 2. C. 25. Def. 18. per tot.*

## CAP. VI.

DE

### AFFINIBUS & CONTRARIIS.

TH. I.

**A**FFinis hujus Legitima est Portio statutaria, quæ tamen hæcenus ab ea differt, quòd hæc ex speciali dispositione statuti tanquam lucrum matrimoniale, & sic titulo singulari, illa verò jure hereditario & titulo universali deferatur. Lucrum verè statutarium à jure hereditario multum differre latius docent *Cothmann. V. 2. consil. 51. n. 120. seqq. Merivius ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 239. seqq.* Quamquam verò Conjux tum non est heres, tamen per indirectum & per consequentiam, quatenus nimirum æs alienum ante divis. deducendum, debita pro rata portione exsolvere tenetur *Carpz. p. 3. consil. 20. def. 46.*

TH. II.

Similis quoque est Legitima mariti quartæ Falcidiæ, quam Maritus ab Uxore heres in testamento institutus & ultra do- drantè legatis gravatus detrahere potest, arg. *L. i. pr. ff. ad L. Falc.* Quamquam tum eum hæc quartâ contentum esse oportet, ut adeo præterea legitimam nequaquam petere valeat, arg. *l. 6. C. de SC. Treb. d. l. 1. ad L. Falcid.* Et cum legitima secundum tenorem *Aurb. Præterea* admodum variet, ideo hoc casu consultius fuerit, Falcidiæ beneficio uti. Ceterum refer- vata potestas in donatione mortis causâ reciproca inter

D

conju-

conjuges de legando aliquid alteri ex hereditate, *ihme et swas zuvermachen*/ non efficit, quò minus tota hereditas testamento ei deferri possit, quod Carpzovius *lib. 6. Resp. 8.* prolixè executus est.

TH. III.

Cessat jus Legitimæ consequendæ 1. Si Maritus superstes sit dives, citat. Auth. & Novell.

TH. IV.

Contraria etiam sunt huic legitimæ Pacta dotalia. *Struv. 8. 7. C. Ex. 38. Th. 39. Schneidevv. ad 7. tit. de hered. quæ ab intest. def. rubr. de success. int. Vir. & Ux. n. 1. Wetsenb. Vol. 4. Conf. 157. n. 32. seqq.* quia provisio hominis tollit provisionem Legis. Quocirca, si maritus pactis dotalibus de certâ portione in casum demortuæ uxoris sibi prospexerit, eâ omnino contentus esse debet, ut adeo ad portionem statutariam recurrere nequeat, *Carpzov. part. 3. const. 23. def. 1. Berlich. part. 3. Concl. 27. n. 29. & seq.* Idemque in Marchiâ Brandenburgicâ observari testatur *Schepliz. ad Consuet. March. part. 3. tit. 2. §. 5. n. 6.*

TH. V.

Ceterum indignum se facit Maritus hâc quartâ, si ob commissum adulterium vel malitiosam desertionem Vinculum Matrimonii fuerit dissolutum, quia causa illius quartæ lucrandæ, quæ est Matrimonium, tunc cessat, *Carpz. part. 3. const. 26. def. 1. & 9. Moller. P. 3. C. 26. n. 3.* Idem est, si maritus officium conjugale uxori denegaverit, *Mev. part. 5. Decis. 136. n. 1. Carpz. 1. Resp. 109. n. 3.* quò pertinet vulgatum illud Juris axioma, quod qui non facit, quod debet, non recipiat etiam quod oportet.

TH. VI.

Si Maritus Uxorem interficiat, quoque amittit hanc legitimam *arg. L. 10. §. 1. ff. Solut. Matrim. Berl. P. 3. Concl. 36. n. 3. Kohl. de success. Conjug. part. 1. n. 34.* Licet eam in flagranti

granti crimine deprehensam occiderit Carpz. P. 3. C. 26. D.  
7. n. 3. Quanquam enim Mevius ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2.  
art. 12. n. 433. & seq. putat, maritum tum lucrum statuari-  
um non amittere, tamen verius omnino est contrarium. 3  
Quia ratio, quâ movetur Mevius, nempe marito uxorem  
in crimine adulterii deprehensam occidere licere, non sub-  
sistit l. 22. §. f. d. iis. vid. Carpzov. 1. Decis. 95. Struv. de vind.  
priv. c. 8. apb. 1. Unde meritò Carpzovii castra hâc parte  
sequimur, missâ Mevii sententiâ, Nisi forte eam ad Italiam  
aliave loca, ubi uxorem in adulterio deprehensam occide-  
re permissum est, testibus Wesenbecio π, ad L. 7. de adult. n.  
20. Gudelino de Jur. Noviss. lib. 5. cap. 18. restringamus. I-  
tmo non præcisè exigitur, ut maritus occiderit Conjugem,  
sed sufficit, si Conjugis necem molitus sit, licet ad effectum  
non perduxerit Berl. cit. loc. n. 10. Quam ampliacionem  
etiam probat Mevius cit. art. 12. n. 432.

#### TH. VII.

Similiter Maritus ob denegata Uxori Alimenta hâc legitimâ  
privatur, Coler, Dec. 256. n. 6. Modest. Pist. P. 2. Qv. 57. n. 3. quia ne-  
care videtur, qui non alit, L. 4. ff. de agnosc. & alend. lib. modò  
alimenta perperam & malitiosè neget, Mev. cit. art. 12. n. 435. & U-  
xor ex defectu alimentorum decesserit. P. 3. const. 26. Kohl. de Success.  
Conjug. P. 1. n. 31.

#### TH. VIII.

Porro qui Uxorem infirmam & ægotam negligit, eiq; medi-  
cum non adhibet, hanc Legitimam perdit Carpzov part. 3. const. 26.  
def. 4. Richter. de success. sect. 4. membr. fin. n. 39. Quod tamen tum  
demum procedit, si conjux tantis gaudeat opibus, ut impensam  
hanc commodè ferre & solvere possit Berlich. part. 3. concl. 36. n. 42.

#### TH. IX.

Eadem privationis poena obtinet, quando maritus u-  
xorem sine causa expellit N. 117. in fin. aut verberibus tractat scil.  
impie & immodicè Carpzov. part. 3. const. 26. def. 6. Brunem. ad  
L. 10. solut. matrim. n. 2. Nam marito licere etiam verberibus  
modicè uxorem castigare, Dd. communiter docent, Wurmser. 47.

Obs.

*Obs. 21.* adeo ut pactum de non castigando uxorem, tanquam bonis moribus contrariū improbetur, *Mev. cit. art. 12. n. 440.* Huc quoque pertinet, si mortem defunctæ Uxoris non vindicet, *L. 20. ff. de his que ut indign. et si hodie secundum sententiam Clari & Hahnii ad Wesenb. cit. tit. n. 2.* hoc casu fiscus excluditur.

TH. X,

Sed & quæritur, An, si contingat morte civili Uxoris puta per ingressum in Monasterium dirimi Matrimonium, superstes Maritus hanc quartam consequatur? Quod affirmatur, quia qui Monasterium ingreditur, quantum ad Matrimonium videtur mori *L. 56. pr. C. de Episcop. & Cler. Nov. 22. c. 5.* Marc. Ant. Natta *Lib. 2. Cons. 282. n. 7. & seqq.* Handed. *Vol. 1. P. 4. Cons. 62. n. 8.* Et si hoc Jure Canonico abrogatum videtur, utpote quod prohibet ne maritus invita uxore, vel contra continentiam viveat in *can. una sola causa 33. quest. 5.* ubi Augustinus elegantem addit rationem: Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare verat alienum.

TH. XI,

Denique fac, uxorem aliquid in testamento marito legare, an maritus hoc in portionem statutariam imputare tenebitur? Sunt certè, qui negant Boër. *Decis 244. n. 6.* Moller. *Semestr. lib. 3. c. 25. n. 3. & seqq.* Verum ego veriore affirmativam puto, quia tum legatum animo compensandi relictum censetur. *Auth. praterea C. unde vir & ux. arg. l. 22. §. 3. sol. matrim. l. 8. de adim. leg. Carpz. part. 3. const. 20. def. 29.* Secus est in casu, ubi ex pactis dotalibus viduo certa portio debetur, Tunc enim & legatum & portio pacto constituta rectè petitur *Carpz. def. 5.* Unde colligo Regulam: Quoties viduo certa portio debetur ex causâ voluntariâ, toties legatum portionem non tollit, quoties autem ex causâ necessariâ, toties tollit. Quanquâ verò tum demum legata in quartam cit. *Auth.* imputari putat Corasius *3. Miscell. l. n. 10.* si scilicet, vidua alteri nuptura, & consequenter viduus ad secunda vota transurus sit, tamen hoc non placet, cum si semel legatū una cum portione statutaria perceperit, per secundas nuptias nullibi dicatur amittere. Et hæc pro ratione instituti sufficiant; Veniam mihi dabis B. L. si non omnia ad palatum, cum errare humanum sit. Deo verò Ter Opt. Max pro divinâ suâ Assistentiâ sit Laus & Gloria! FINIS.

94 A 7379

ULB Halle 3  
002 376 911




sb

W17

7/4 Nov 1923







I. N. J.  
DISPUTATIO INAUGURALIS,  
DE  
**LEGITIMA MARITI**

occasione  
*Auth. Prætereà. C. Unde Vir & Uxor*

&  
*Novell. 53. cap. 6.*

*Quam*  
DEO juvante,

Ex Permissu Incl. J. C. torum Ordinis,

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI,  
SUB PRÆSIDIO

**DN. JO. HENRICI BERGERI,**

J. U. D. Pand. P. P. & Collegiorum, quæ

Vitembergæ sunt, Assessoris,

*Domini Patroni & Promotoris sui etatem*  
*colendi,*

Pro LICENTIA

Summos in utroque Jure honores, Privilegia &  
Immunitates ritè consequendi,

Publicæ & solenni Disquisitioni submittit

**JOH. FRIDERICUS BAUDIUS,**

Schmidfeld. Mistr.

*Ad diem 4. Maji, Anno M. DC. XCIII.*

VVITTEMBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

